

V C  
5338

h.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT



SALVE

EX ITALIA REDUX

1686.

SPLENDOR EUROPÆ,  
LUMEN GERMANIÆ,  
ELECTORALIS SAXONICÆ DOMUS  
COLUMNNA,  
SPES SUBDITORUM MAXIMA!

*SERENISSIME PRINCEPS AC*

DOMINE,

DN. JOHANNES  
GEORGIIV.

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRÆ  
ATQVE WESTPHALIÆ DUX,

LANDGRAVIE THURINGiÆ,

MARCHIO MISNIÆ,

ET UTRIUSQVE LUSATIÆ,

*PRINCIPALI DIGNITATE*


COMES HENNEBERGIÆ,

COMES MARCÆ, RAVENSBURGI, ET BARBY,  
DYNASTA RAVENSTEINII,

DN. NOSTER CLEMENTISSIME,

SALVE!





FLEETORALIS SAXONICÆ DOMUS  
COLLINA

FLOREAT


GERMEN

GERMINANTIS RUTÆ  
ELECTORALIS  
SAXONICÆ

IN

ÆVUM!

SAXONICÆ  
IN  
ÆVUM!  
MUMEN  
ET TURBIDUM  
Quod spiritus  
Supplicis  
COMES  
COMES MARCA  
DYNASTIA  
DI. NOSTER  
SAXONICÆ





**F**Xulta fortunata Saxonia,  
Gratulare Tibi potentissima Germania,  
Summis præconiis extolle invictissima Europa,  
præsentem SAXONUM felicitatem!

SOL enim Oriens accedit ad SOLES,  
LUMINA de LUMINIBUS Mundi illuminantur,  
& gaudium gaudiô multiplicatur maximô,  
dum ex Italia sapientiæ museô  
rediit,

Princeps omni laude superior,  
Incomparabile Principum Exemplar,  
Serenissimorum Parentum Desiderium,  
& à cœlis nobis missum.

*NUMEN TERRESTRE SAXONICUM.*

Hoc ipsum est,  
Quod admirandos sapientiâ fecit Britannos,  
Stupentes magnanimitate reddidit Gallos,  
Attonitos humanitate suâ reliquit Italos.  
Nihil de Hoc excogitari potest *magnum*,  
Quod *magnanimitate* suâ non reddat *majus*,  
Nihil proferri *excellens*,  
quod virtutum *excellentiâ* non præstet *excellentiùs*.

A 2

Nihil

Nihil exprimi gloriosum,  
quod *Sua* & Majorum *gloriâ* non fiat *gloriosius*.  
Hunc SAXONIÆ *Ducem*, *Duce Deo*,  
per tot periculosos *Ducatus* nobis  
feliciter esse *adductum*, quis non videt,  
aut quis non gratò agnoscat animo?  
Hic nobis *tantum tantis* ex periculis liberavit *Ducem*,  
*quantum majorem* maximus hominum intellectus  
sibi vix imaginari potest.

ò Clementissimi Numinis Clementiam!

quod Clementiâ Clementiam auget,

& incolumem nobis reddit,

*Heroem diu desideratum*,

SERENISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM,

**DN. JOHAN. GEORGIUM IV.**

PRINCIPEM PIUM, SAPIENTEM,

JUSTUM, MAGNANIMUM,

*heroicisqve virtutibus maxime ornatum,*

Verbò,

*Alterum jam adducit Tibi,*

SAXONIA FELICISSIMA,

**SALOMONEM.**

Hic qualis esset Princeps,

Aut qualis esset futurus,

ex solò SAXONIS nomine ejus famâ

per totum orbem diffusa,

quæ exteris semper admirationi ac terrori fuit,

facile poterat divinari.

Ncq;

Neq; latere potuit hæc heroica SAXONUM progenies,  
sed HERCULIS instar atqve MILTIADIS  
singulares heroicæ profapiæ ostendit motus.

*Aquilam enim SAXONICAM*

*Soli Poloq; proximam.*

*Virtutis volatu altiore altiozem,*  
*mentisqve acumine acutiorem Aquilam,*

non modò æmulari, sed & superare.

*Successorem Davidis genuinum*

**SALOMONEM,**

*Heroica SAXONUM Profapia,*

*Nunquam satis deprædicanda Pietas,*

*Admiranda Principis Sapientia,*

*Divina cum Justitia consociata Clementia,*

*Summaq; subditos juvandi Promptitudo*

omnes abundè edocent.

*Glorioso è stemmate nasci,*

*Gloriosusq; reddere nomen.*

*Principibus gloriosissimum.*

Nostris verò Herois

Divina SAXONUM Profapia quæ *gloriosior?*

Hæc generis sui majestatem habet æternitate,

temporis admirandam,

bellica virtute gloriosissimam,

relligionis veræ cultu cœlestissimam,

Eois Hesperisqve plagis cognitissimam.

Hanc ante Christi Nativitatem floruisse,

& per viginti duos gradus descendisse

*ex Regibus in Regem.*

WITEKINDUM MAGNUM,

Hujusq; ex genealogia *gloriosa*

*Gloriosissimos ortos Imperatores:*

HEINRICUM AUCUPEM,

OTTONEM MAGNUM,

OTTONEM SECUNDUM,

OTTONEM TERTIUM,

*Miraculum illud Mundi,*

HEINRICUM SANCTUM,

LOTHARIUM SECUNDUM,

& designatum à se verò recusatum Imperatorem.

FRIDERICUM III. SAPIENTEM,

quorum memoria nunquam erit moritura,  
testes sunt Historiographi.

Hunc Heroem.

Tantum ex *Deorum* sanguine esse natum,  
inter *Deos* educatum,

*Deorumq;* imitari clementiam,  
& facta clementiæ quotidiana loquuntur,  
& felices Herois experiuntur subditi.

Compendium atque ideam.

Tantæ *Heroicæ* Profapiæ  
præbuisse belligeranti mundo

*Fulmen Gallorum.*

*tremendumq;* *Turcarum* Triumphatorem.

SERE-



SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM  
PRINCIPEM AC DOMINUM,  
DN. JOH. GEORGIUM III.

*Patrem Patriæ incomparabilem,*

*recens confirmat memoria.*

*Hic Symboli sui memor:*

VEXILLUM MEUM JEHOVA.

Toties *vexilla* hostium retulit, quoties *vexilla* secutus,

Totiesq; *Victor* salutatus, quoties venit *Pugnator*,

quò heroico factò

Vim delevit maximam Turcarum,

Gallorumqve copias abegit in fugam.

*Hujus ferro debet Saxonia,*

Ne Gallorum Tyrannis nostros attingeret limites,

Neq; nostra libertas degeneraret in servitutem.

Hunc fortuna *Majorum Magnum*,

Virtus propria *Majorem*,

*Maxima* Imperii merita fecerunt *Maximum*,

Tantò magnanimitatis splendore,

Tanti Hannibalis Saxonici

jam magis incitatus

Virtutum cupidissimus Princeps

Heroicæ indolis suæ ac sublimioris impetus

teneris statim in annis

*Serenissimis Parentibus suis*

spem fecit non minimam,

Illum magnum *Lumen* fore in *Pace*,

Nec minorem *Stellam* in *Bello*,

A 4

illum

Illum veræ Religionis *Defensorem*,  
Studiorumqve *Nutritorem* fore *maximum*.

Neqve poterat aliud sperari ab illo,  
*qui juxta Symboli sui energiam:*

JEHOVÆ gloriam qværit, dum spirat,  
& rectè *imperare* ut possit,

Summo prius Imperatori Deo *parere* didicit,  
qvæ clara testimonia,

*Hunc regiam virtutem virtutumq; Reginam*

### PIETATEM

*semper habere comitem.*

Hoc firmò Salomonis fulcrò  
futurum suffulcire conatur imperium.

*Gloriosissimus Princeps,*

*inductione confirmatus,*

Pietatem splendidum Majorum fuisse Adamantem,  
cujus ope virtutum radios sparserunt.

partim in *Orientem*,

partim in mundi partem *Occidentem*.

*Hoc Adamante splenduisse quondam in terris*

ERNESTUM

PIUM,

JOHANNEM

CONSTANTEM,

JOHANNEM FRIDERICUM

RELIGIOSUM,

AUGUSTUM

PIUM,

JOHANNEM GEORGIUM I.

CONSTANTEM,

JOHANNEM GEORGIUM II. PIUM,

*gloriosissima Heroum attestatur memoria.*

Neq; solò hoc splendidissimò Principum diademate

Heroëm videmus ornatum,

sed

sed variis virtutum carbunculis  
longè latèq; radiare,

*SALOMONEM SAXONICUM*  
duo principales Principis confirmant comites  
*SAPIENTIA ac PRUDENTIA.*

His ceteros superasse Reges

*Germen Davidis SALOMONEM,*

non obscurè sacra pagina docet.

Alios hisce carbunculis ut præcellat,

*ad maxima natus Princeps,*

*Magna Majorum stimularunt nomina,*

FRIDERICI SAPIENTIS,

VVILHELMI INGENIOSI,

HENRICI ILLUSTRIS,

*admiranda Salomonis Exempla.*

Cui spontè currenti

majorem ad virtutem addebat stimulum,

*gloriosum illud AUGUSTI gloriosissimi,*

*qui Principes Deos fieri perhibebat:*

*RELIGIONEM ac JUSTITIAM*

fortiter propugnandò.

Quam posteriorem

in speculò Avitarum virtutum percipiens

JUSTITIÆ

SE consecravit totum,

argumentò minimè fallaci,

Hanc Principum confirmare thronos,

Deditosqve huic consimiles reddere Diis.

*Tam magnorum districtuum pacatrix Justitia,  
Nostro Principi bilancem tradidit & gladium,  
Ut pari dexteritate judicet tam subditos,  
quàm ut externos cohibeat hostes.*

*Quà in viâ prælucentes habuit Heroës,*

AUGUSTUM JUSTUM,

JOHANNEM GEORGIUM PRIMUM,

JOHANNEM GEORGIUM SECUNDUM,

*& in justitiâ administrandâ nemini secundum,*

JOHANNEM GEORGIUM TERTIUM,

*Hi justitæ tenaces Juris Saxonici fuerunt Conditores,*

*Hi optimi ARISTIDES & cognomine JUSTI,*

Hi FERDINANDI I. Imperatoris

*gloriosissimæ memoriæ,*

*Cedrò digni symboli defensores fuerunt accerrimi:*

FIAT JUSTITIA AUT PEREAT MUNDUS.

MAGNANIMITATIS

*Magna Principis incitamenta fuerunt*

JOHANNES FRIDERICUS MAGNANIMUS,

ALBERTUS

ANIMOSUS,

FRIDERICUS

BELLICOSUS,

VVITEKINDUS

MAGNUS,

*quibus obplus quàm Herculeæ facta annumerandus*

JOHANNES GEORGIUS III.

ANIMOSUS,

*Vera Imperii Romani DEXTERA,*

MAGNI MAURITII

*Magnus in profligandis hostibus æmulus,*

**Hic**

Hic cum clarus sit heroicis *Factis*,  
Non opus erit aliis *Fastis*,  
Ubi ANIMOSUS *Antecessor* vivit in *Sucessore*,  
quid opus *elogiis*?

Victoriâ Turcarum & Gallorum expulsiōne  
se reddidisse immortalem,  
totus jam consonat orbis.

HIC UT VIVAT FELICITER, REGNET  
FELICIUS, TRIUMPHET FELICISSIME  
Subditi omnes acclamantes vovent & cordicitus  
precantur!

*Tantis* ab Heroibus natus Princeps,  
*Tantus* Heros erat noscendus,  
*Tantum* Majorum imaginibus instigatus,  
*Tanta* heroica facta laborat imitari.  
*Hunc* MARS vidit arma vibrantem,  
*PALLAS* literas meditantem,  
*Literas* inter arma, arma inter literas  
cordi habentem,

inde Magnanimitatis magnum deportavit titulum,  
dum ex belli onere honorem Heroi tribuit.

Sacra Cæsarea Majestas,  
Principemque Magnanimum  
Generalem Copiarum suarum elegit Tesserarium.

*Hunc* obsessa Moguntia vidit fortiter pu-  
gnantem,

*Hunc* seipsam à Gallorum tyrannide vidit  
liberantem,

*Hunc* de fugitivis Gallis vidit triumphantem.

CLE-

C L E M E N T I Æ  
Nomen Numen hoc ut tueretur insigne,  
non modo *homines humanitate* iudicat indignos,  
qui cum *hominibus* vivunt, nec tamen sunt *humani*,  
sed ex totâ SAXONUM Profapiâ  
veram *Gravitationis*, *Clementiæ* atq; *Humanitatis*  
sibi comparavit ideam,  
non alium ob finem,  
quàm ut exemplò Clementium  
Clementiam omnibus exhibeat,  
Gratiam omnibus offerat,  
Neminiqve suam deneget opem,  
*ad quam inflaminant lumina clara Mundi*

FRIDERICUS II. PLACIDUS,

ERNESTUS GRAVIS,

FRIDERICUS III. PACIFICUS,

AUGUSTUS GRATIOSUS,

CHRISTIANUS II. BENEFICUS,

& exemplum *Clementiæ sine exemplo*

JOHANNES GEORGIUS II.

Nihil hîc deesse voluit Numen supremum,  
quod tanti Principis in *Pietate Constantiam*,  
in regnandis Provinciis *Sapientiam*,  
in fortitudine præstanda *Præstantiam*,  
in *Clementia Favorem*,  
in benefaciendò *Promptitudinem*,  
ad vivum non exprimeret.

neq;

Neq; his virtutum præconiis exsatiari poterat

**SAXONUM** *stupendus Achilles,*

*Verùm,*

*Regionibus* suis ut prodesset plurimùm,

*Regiones* Europæ visitavit alienas.

*Aliis* exemplo Majorum ut præluceret *optimè,*

*optimos aliorum* mores studuit æmulari,

*quid majus?*

*Rarum hoc in subditos Amoris Exemplum.*

*Varia vitæ præsubditis* subivit *pericula,*

*Periculum* regionibus suis imminens ut  
averteret.

Hic verus Germaniæ audit **ALCIBIADES,**  
in quo ipsæ Gratia suam elegerunt sedem,

Veram Principis ut formarent ideam.

*O Summam Saxonum felicitatem!*

*Felicitatem* longè majorem adepti,

quàm latissimæ mundi continent partes

**ASIA, AFRICA ATQVE AMERICA.**

Hæ sapientissimos licet producant homines,

variisq; virtutum satellitibus stipatos,

**SALOMONEM CHRISTIANUM**

tamen ut adferant nobis, felicitate carent.

Hic à *Diis* progenitus

*Deorum* in terris quærit consortium,

*Gaudium Deorum* ut multiplicet,

Dum in thalamum ducit

*Deam magnam Daniæ ac Norwegiæ*

SERE-

SERENISSIMAM PRINCIPISSAM AC  
DOMINAM,  
DN. SOPHIAM HEDVIGEM,  
DNAM. NOSTRAM CLEMENTISSIMAM.

Hæc regia cælo nobis donata Progenies  
Regiam imitatur naturam,  
nec calamô fatis delineari potest.  
Perfectissimam enim *Pietatis ac Prudentiæ,*  
*Admirandæ Castitatis ac Clementiæ,*  
omnigenæq; virtutis imaginem  
si hîc delineare vellem,  
infra tamen magnitudinem esset EJUS,  
quæ *Atlantis Saxonici* adjungitur lateri.  
Neq; nostra nos fefellit expectatio,  
Cum nec major â nobis sperari,  
Nec conceptæ spei felicior ulla respondere potuerit.  
Hæc cum magna nostra Daniæ ac Norwegiæ  
Heroïna.

Heroïis incomparabilis incomparabili Parente,  
SERENISSIMA PRINCIPISSA AC  
DOMINA,  
DOMINA ANNA SOPHIA,  
ELECTORISSA,  
DUCISSA SAX. JUL. CLIV. MONT. ANGRÆ  
ac WESTPHALIÆ, &c.

*Cujus felicitum annorum numerus sit innumerus!*  
*firmius firmabit firmum Daniæ cum Saxonia*  
vinculum,

Hæc terris hisce robur & gloriam,  
Inimicis terrorem adferet & metum.

Hæc



Hæc Lutheranae religioni addictissima,  
Religionem non immutat, sed illuminat,  
non turbat, sed corroborat,  
non onerat, sed coronat.  
Hæc divinâ conjunctione  
*Saxoniae felicitas felicitati Salomonis*  
*non æquivalebit, sed prævalebit.*  
*Alienas enim dum Rex amplectitur mulieres,*  
*Alienam pro verâ recipit religionem,*  
*Verumq; DEI cultum transmutat in alienum.*  
Hoc Deorum Conjugiò  
*Germen Saxonicae Rutæ germinabit ulterius,*  
*Salus salute, fortunaq; fortunis cumulabitur secundis,*  
*Et quisq; lætus sub ficu suâ quiescet securius.*  
In altò hoc confirmatum Conjugium,  
ut DEUS secundet ex alto,  
*Altiora omnes effundunt suspiria.*  
Herois ergò magnanimi natalitius dies  
*quantum lætitiæ hisce provinciis attulit,*  
*tantum hodiernus dies multiplicavit,*  
*dum veluti altera Arabia felix SAXONIA*  
*in gremium suum recipit.*  
*Principem talem,*  
*qualem diu exoptarunt Serenissimi Parentes,*  
*tristes desiderarunt Magnates,*  
*attoniti abeuntem viderunt subditi.*  
*O nos igitur felices!*  
*qui SALOMONEM habemus sapientem,*  
*imo hoc meliorem,*  
*dignissimum,* Ut

FK 9c 5335

Ut cum totâ Saxonum Profapiâ  
Heroëm DEUS fervet *incolumem,*  
*Vigentem, germantem, florentem,*  
Domuiq; Electorali Saxonicae *maximè valentem.*

Huic *fausta* quævis *fata adsint,*  
*absint procul,*  
quæ illum lædere possunt *infortunia!*  
*Felicia* sint omnia *cœpta,*  
Neque *irrita, sed rata* illius *consilia!*  
Sic *voventes* *vovete* *mecum omnes*  
atqve *Principi magnanimo*

## SALOMONI SAXONICO

acclamate:

SALVE  
SPLENDEq; DIU  
SPLENDOR EUROPÆ,  
LUMEN GERMANIÆ,  
ELECTORALIS SAXONICÆ DOMUS  
COLUMNA,  
SPES SUBDITORUM MAXIMA!

*imo resonet ex alto:*

FLOREAT  
GERMEN  
GERMINANTIS RUTÆ ELECTORALIS  
SAXONICÆ

IN

ÆVUM!

Hâc *votivâ* *acclamatione*  
*suam animi submissionem ac devotam mentem*  
*humillimè offert*

JOHANNES GEORGIUS GRÜBELIUS,  
*Med. Doctor, Viduæ quondam Electoralis Saxonicae Archiater,*  
*& Acad. Leopold. Imperial. Nat. Curios. Collega.*

---

DRESDÆ, Scanno RIEDELIANO.

m.

2

ULB Halle 3  
004 824 245



VD 17





h. 56.

Vc  
5338

# SALVE

EX ITALIA REDUX

1686.

SPLENDOR EUROPÆ,

LUMEN GERMANIÆ,

ELECTO

ICÆ DOMUS

SP

AXIMA!

SERRE

ICEPS AC

E,

DN.

NNES

G

IV.

SAXONIÆ, JU

ONTIUM, ANGRÆ

AT

E DUX,

LAN

RINGIÆ,

ET

NIÆ,

PR

USATIÆ,

COMES M

NITATE

GIÆ,

DN. NOS

RGI, ET BARBY,

TEINII,

NTISSIME,

E!

